

dum se, ita ut non indigeat aliquo reducendo de novo actum primum ad secundum, et potentiam ad actum, sed per seipsam est actus ultimus activus, quia purus, et sine ulla potentialitate, sed tamen ita eminens et superior ad effectum, quod emittit illum et exequitur quando vult et prout vult, sicut in Deo est actus liber tantæ eminentiæ, quod non consistit ejus libertas in exire, vel non exire a potentia libera, sed postquam est in actu, libertatem habet ut terminetur, vel non terminetur ad objectum subji-ciendo illud sibi, vel relinquendo: sic actio ipsa ita reddit Deum in actu secundo activum, quod tamen ex activitate hac in actu secundo potest exire effectus quo tempore voluerit: nec enim est actualitas per modum actus transeuntis quæ est alligata effectui, sed per modum actus puri, quæ est independens ab effectu, et effectus sequitur juxta voluntatem talis actus puri, nec indiget nova determinatione, ut in tempore sequatur actus potius quam alio, sed sua eminentia, et actualitate complectitur omne tempus et determinat illud, et sic egreditur actus quando vult; sicut idem actus sua eminentia est nolitio et volitio, et seipso determinat quod objectum sit vel non sit.

X. Ad secundum respondetur ex dictis, denominationem agendi non convenire Deo ab æterno, quia licet actio sit æterna in Deo, quantum ad actualitatem ex parte agentis se tenentem, non tamen quantum ad omnem conditionem requisitam ad efficientiam consummatam, quia ille influxus, seu actus secundus agentis nondum intelligitur attingere terminum, et ex parte termini se tenere, licet intelligatur ex parte agentis actuare, seu reddere ipsum in actu secundo: denominatio autem agendi, licet sit in agente,

ut a quo, vel in quo est, requirit tamen attingentiam termini ut ad quem terminatur, eo quod denominat non pure formalizando, et in vi causæ formalis, sed efficiendo, et constituendo causam ut efficientem: efficere autem non stat, nisi attingendo aliquid quod fit, tamquam terminum, quia efficere nihil, est non efficere, et efficere aliquid, est terminum attingere. Unde antequam efficientia attingat aliquid terminative, non denominat subjectum efficere, quamvis denominet ipsum in actu secundo, seu actuatum in actu ultimo ad efficiendum: eo quod illa prima denominatio efficiendi requirit pro conditione ad denominandum terminativam attingentiam termini, et non sufficit actualio actualitatis actionis, ut ex parte agentis se tenet, sine illa conditione ad denominandum efficere, quia istæ formæ sunt talis conditionis quod non denominant per absolutam sui informationem, sed cum dependentia ab aliquo extrinseco, ut supra explicatum est in actione, passione, ubi, veste, etc.

XI. Dices: Si dependet aliqua forma ab extrinseco in denominando, etiam dependebit in informando, et ita ante illam conditionem termini extrinseci positam non dabitur talis forma, sicut non datur in creatis actio in agente, antequam detur terminus influxu eodem attackus. In Deo autem non erit ista actio influxus aliquis ex parte Dei, sed solum ex parte creaturæ se tenens, et denominans extrinsece Deum.

Respondetur in creatis agentibus ita esse, quia cum actio, etiam ut actus secundus agentis est, emanet a potentia et virtute, quæ est in actu primo, non autem emanat actus secundus sine termino, quia ab eo specificatur, et ad illum essentialiter se habet, consequenter emanat

etiam ipse effectus seu terminus actionis, et sic non est una emanatio sine alia. At vero in Deo non emanat actio in quantum actus secundus a potentia divina, sed ipsa secundum se est actus secundus, quia actus purus, et est omnino independens a creatura faciendâ, nec ab illa specificatur, sed ipsa specificat et determinat creaturam; et sic ad existendum in subjecto non dependet ab attingentia creaturæ et effluxu actuali illius, sed ipsum causat prout voluerit. Nec potest ista actio in sola denominatione extrinseca poni respectu Dei, quia esse in actu secundo ad operandum non est denominatio extrinseca, sed realis actualitas, quia ratione illius operatur causa realiter.

CREATIO EX PARTE CREATURÆ NON EST ALIQUID MEDIUM INTER DEUM ET REM CREATAM.

XII. Dico secundo: Ex parte creaturæ creatio est ipsamet creatura, ut per se immediate dependens a Deo in esse: nec datur aliquod medium inter Deum et creaturam superadditum ipsi creaturæ, quasi medium influens et ratio producendi, sed solum importat novitatem termini facti, ut a Deo cum relatione dependentiæ consecuta, non cum dependentia ut medium. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ in quæstione III de potentia, art. III, et idem confirmat in hac quæstione XLV, art. III; docet ergo D. Thomas in dicto loco, quod: « In omni mutatione, et motu est duplex processus. Unus ab uno termino motus in alium, sicut ab albedine in nigredinem; alius ab agente in patiens, sicut a faciente in factum. Sed hi processus non similiter se habent non ipso moveri, et in termino motus. Nam in ipso moveri, id quod movetur recedit ab uno ter-

mino motus, et accedit ad alterum, quod non est in termino motus, ut patet in eo quod movetur de albedine in nigredinem, quia in ipso termino motus jam non accedit ad nigredinem, sed incipit esse nigrum. Similiter dum est in ipso moveri, patiens transmutatur ab agente, cum autem est in termino motus, non ulterius transmutatur ab agente, sed consequitur factum quamdam relationem ad agentem, prout habet esse ab ipso, et prout est ei simile quoquo modo, sicut in termino generationis humanæ consequitur natus filiationem. Creatio autem non potest accipi ut moveri quod est ante terminum motus, sed accipitur ut in facto esse. Unde in ipsa creatione non importatur accessus ad esse, nec transmutatio a creante, sed solummodo incœptio essendi, et relatio ad creatorem, a quo esse habet. Et sic creatio nihil est aliud realiter, quam relatio quædam ad Deum cum novitate essendi. » Hæc D. Thomas. Ex cujus verbis constat, quod non potest intelligi quod creatio sit aliquid antecedens ipsum factum esse creaturæ, tamquam fieri ejus, et consequenter si realiter mediat aliquid inter Deum creantem et creaturam productam, illud debet antecedere ipsum factum esse creaturæ; et sic vel debet esse antecedens per modum cujusdam fieri, vel per modum alicujus rei, seu modi in facto esse, neutrum autem intelligi potest, nec omnino concipi quod id quod pure se habet ut terminus actionis, sit subjectum ejus, sumendo actionem passive, sive prout in fieri.

XIII. Ratio, et fundamentum hujus sumitur præcipue ex duobus.

Primum, ex eo quod ista factio, seu dependentia aut quidquid illud sit, si consideretur ut tenet se ex parte creaturæ, non potest accipi ut medium quo res creatur, nisi vel



se habeat per modum fieri ipsius creaturæ, quæ est terminus, vel per modum alicujus in facto esse, quod sit entitas inhærens, aut modificans ipsam rem creatam et constituens illam in creato esse. Nam substantia esse non potest, quia hæc indiget creari in alia creatione, nec virtus efficiens recepta in aliquo, quia in ipsa re creata, quæ est terminus, non potest recipi virtus effectiva sui; in alia autem creatura non potest recipi virtus creandi, ut articulo quarto dicemus, modo autem non est præsens difficultas de virtute, sed de actione.

Secundum est, quia creatio est influxus universalissimus totius entis quod fit ex nihilo, et repugnat hunc influxum ita universalem esse creatum, et passive recipi in re producta per creationem.

XIV. Primum ostenditur sic, quia istud medium quo res dicitur creari seu passive esse creata, debet recipi in aliquo subjecto, vel inhærendo, si est accidens, vel modificando, si est modus: nam substantia, ut diximus, esse non potest: quomodo enim una substantia est in alio reddens ipsam creatam? Et rursus ista substantia cum non esset Deus, deberet esse creata: alia ergo creatione; et alia substantia, et esset processus in infinitum, aut deveniretur ad substantiam, quæ sine ullo medio passive in se recepto crearetur, quod etiam dici posset de illa substantia quæ primo creatur. Si ergo est accidens vel modus identificatus cum re creata: ergo ut realiter ibi sit tale accidens, vel modus, debet supponere quod ipsa res creata, seu subjectum sit existens: nec enim subjectari potest in nihilo, nec realiter esse, nisi in subjecto; ergo non potest esse medium quo talis res creetur, et ponatur in facto esse: nam medium quo res fit antecedere debet ipsam in facto esse, cum ac-

cipiatur ut medium ad hoc ut fiat: non potest autem subjectari in illo, nisi sit in facto esse: ergo repugnat quod id quod est medium faciendi recipiatur in ipso facto, et in ipso termino.

XV. Dices: Quod est sicut existentia, quæ recipitur in re quam existentem reddit, non supponit, sic creatio passive sumpta reddit rem creatam in facto esse, non in facto esse supponit.

Sed contra, quia existentia non se habet per modum influxus, et medii quo res fit, sed per modum termini, quo redditur formaliter in actu extra causas, seu extra potentialitatem; et ideo pertinet ad ipsam rem creatam, et in illa recipitur, non supponendo existentem, sed constituendo formaliter, seu terminative. At vero influxus ille, seu creatio passiva consideratur ut medium effectivum, quo tamquam ratione effectiva ex parte effectus se tenente ipse effectus creetur, et procedat in esse. Ratio autem effectiva ex parte effectus se tenens, cum sit medium, seu causalitas efficiens, non potest formaliter constituere rem existentem: sic enim esset existentia effecta, sed effective, seu influxive, quia est medium ut sit effecta, non forma. Omne autem effectivum, et influxivum per modum causæ efficientis supponit existentiam, et si est accidens, vel modus, debet esse in subjecto existente: ergo si istud medium influxivum actu influit, et effective mediat ad hoc ut res fiat, oportet quod existat in aliquo, dum influit, sed non est aliud quam terminus ipse qui creatur, et fit, si quidem fit ex nihilo, et nihil prius, et ante se supponit: ergo vel subjectatur in isto termino jam facto, et in facto esse existente, vel antequam sit in facto esse. Antequam sit in facto esse est purum nihil; nec enim datur aliquod sub-

jectum quod sit in potentia, et tendentia ad ipsum, nec datur fieri quod antecedit factum esse realiter, cum non fiat per motum aut mutationem. Si vero subjectatur in ipso termino, ut in facto esse existenti, jam illud non est medium, nec ratio ut terminus ipse fiat, quia quod est in facto esse, non potest habere medium quo fiat, sed solum est in illo aliquid consecutum ad talem terminum in facto esse, et hæc est relatio consecuta, non aliquid antecedens tamquam medium ut fiat. Et hac ratione D. Thomas in hac quæstione XLIX, a. III, reputat quod est impossibile quod ejusdem accidentis seu actionis, quæ est accidens, idem sit subjectum quod sustentat accidens existendo, et terminus qui producitur per talem actionem; et sic supponitur non existens; et si non est existens, non sustentat illam. Solum ergo ubi supponitur materia, seu subjectum aliquod ex quo res fiat, et in quo sit mutatio, potest antecedere ipsum factum esse, et se habere ut medium ut res fiat, quia ut dicit S. Thomas in hac quæstione XLV, art. III ad III: « Si creatio significetur ut mutatio, habet creaturam pro termino, sed secundum quod vere est relatio habet creaturam pro subjecto. » Ergo in quantum fieri, seu in quantum influxus effectivus in ipsam creaturam, non potest habere terminum pro subjecto, quia nihil comparatur effective, et influxive in subjectum in quo est.

XVI. Confirmatur hoc, quia entitas illa media, quæ ponitur inter Deum creatorem, et creaturam factam, ex parte autem creaturæ se tenens, vel est factio active sumpta ex parte ipsius agentis, vel est factio active sumpta ex parte facti, quod est fieri ipsius, vel est entitas aliqua in facto esse qua mediante dicitur Deus attingere terminum factum.

Primum non est ad rem, quia nunc non loquimur de eo quod dicit creatio ex parte Dei agentis: sic enim non est medium inter Deum creantem et creaturam factam, sed est ipsa actualitas Dei agentis, et facere ejus.

Secundum dici non potest cum in creatione non detur fieri distinctum a facto esse, et medium inter Deum facientem, et rem factam, cum non detur motus aliquis, vel mutatio in creatione.

Et hujus ratio est, quia in creatione solum est transitus de nihilo ad aliquid, illud autem fieri non est purum nihil, sed tendentia aliqua, et via ad ipsum esse rei creatæ, alioquin si est nihil, non est fieri, sed ipse terminus a quo relinquendus: si autem est aliquid ultra terminum a quo, jam est aliquid, saltem ut via, et tendentia ad esse, et nondum ipsum esse, qui est terminus totius factionis, quia est medium ad tale esse: ergo jam ipsum esse prius est in potentia reali quam in actu, et non solum in puro nihilo: transire autem de potentia ad actum est mutari, seu moveri. Nec potest illud fieri si aliquid reale est realiter inveniri, nisi in aliquo subjecto, et non in nihilo, neque extra omne subjectum; non est autem in ipso termino ut facto, seu ut in facto esse, quia est medium ad illud factum esse, et antecedit illud; et iterum quia res in facto esse jam non suscipit ipsum fieri: nec enim fit, neque tendit ad esse quod est in facto esse; præter ipsum autem terminum in facto esse, non restat aliquid aliud quod sit subjectum, cum fiat ex puro nihilo; atque adeo si quod est subjectum, ipsum etiam fit per creationem; ergo nullibi recipitur tale fieri; et sic est in nihilo, atque adeo nihil etiam st.

Tertium denique dici non potest, quia entitas illa in facto esse non



potest esse medium faciendi rem creatam, et influens in illam, quia talis res in facto esse sive sit res, sive modus, debet esse aliquid factum, et ad illud requiretur alia actio, et aliud medium, eritque processus in infinitum. Vel si non requiritur, sed per seipsam res illa, seu modus attingitur tamquam ratio faciendi aliud; et sic immediate fit per actionem creativam: ergo id quod primo attingitur ut res facta in termino creationis est modus ille, qui utique est aliquid minus quam substantia quæ creatur: ergo non incipit creatio, nec immediate, et formaliter attingit totum ens, et universaliter ipsum ens, sed aliquid particulare, seu quod est minus toto ente, sed formalissima ratio creationis est attingere ens in quantum ens sub universalissimo influxu totius entis: ergo non debet incipere ab eo quod est minus, et tamquam pars, sed a toto. ut totum est: ergo non indiget modo illo, seu entitate ut re prius facta, et attacta, ut media ipsa attingat totum, sed prius attingit totum ut formalissimum terminum suum, et quidquid illi conjungitur, ut superadditum, et accessorium. Ac denique currit hic ratio facta, quia cum ille modus, seu res in facto esse non sit substantia per se existens: sic enim non posset esse ipsi substantiæ creandæ ratio ut fieret, erit utique accidens, vel modus; et sic non potest intelligi, nisi alicui inhærens, seu inexistent, non alteri quam ipsi termino, quia nihil ei præsupponitur: si autem ipsi inhæret: ergo est consequens ad ipsum, et posterius ad ipsum, supponitque illud esse existens: ergo non est medium, neque ratio faciendi, et ponendi illud in esse.

XVII. Ex secundo capite hoc idem deducitur, quia creatio influit totam entitatem, nihil præsuppo-

nens, sed totum faciens in suo termino, et ex hoc dicitur universalissimus influxus, quia omnia prædicata, et entitatem quæ in termino est, facit, et nihil supponit; et ideo ex modo producendi nullum ens est quod non possit facere creatio, quia difficultas faciendi aliquid ens, est vel ex defectu materiæ, et dispositionum, vel ex defectu virtutis non potentis disponere, et ordinare ea quæ faciendæ sunt: virtus autem quæ ex nihilo facit, non requirit materiam aut dispositiones ad faciendum terminum; et sic in nullo ente faciendæ difficultatem habebit ortam ex defectu materiæ, vel dispositionum; neque ortam ex defectu virtutis, quia virtus quæ potest ex nihilo facere, ex nullo retardari potest, ne faciat, quia nihil requirit ad faciendum, et summam vim, et actualitatem debet habere, quia vincit summam distantiam, et improprietatem inter extrema, scilicet inter nihil, et ens, ut dicemus articulo quarto, ubi hoc explicabitur. Ex parte ergo virtutis qui aliquid potest semel creare ex nihilo, potest et quodlibet ens. Et hac ratione dicitur ille influxus universalissimus, quia est maximus, qui potest dari respectu productionis rei creatæ, et limitatæ. Ex hoc autem deducimus non posse communicari talem influxum rei producendæ mediante aliquo modo, seu qualibet alia entitate creata, sed ipsam rem immediate debere emanare ab ipso influxu activo Dei, ideoque omnis creatura debet immediate adesse, quia non potest per aliquod medium creatum communicare tam universalem influxum, ut ostendimus præcedenti tomo VIII, articulo primo.

Et ratio hujus est, quia causalitas illa, seu modus, aut quidquid illud sit quod ponitur ut medium creandi ex parte creaturæ se tenens est entitas minor tota entitate termini

producti, et non adæquans illam, quia se habet ut modus ejus, vel entitas illi inhærens, non sicut ipsa substantia producenda: ergo non potest esse influxus universalis in totum ens, neque ex nihilo. Patet consequentia: non potest esse influxus in totum ens, quia, ut ostendimus, et amplius dicemus articulo quarto et influxus qui sufficit creare aliquid ens, v. g. formicam, sufficit creare quodcumque ens, etiam Angelum, quia in creatione non attenditur in termino producendo particularis gradus entis, quantum ad nobilitatem, et perfectionem particularem, sed totalitas entis, quia totum ens facit, nihil supponendo ex quo faciat, vel quod disponat ad talem vel talem perfectionem faciendam: influxus autem seu virtus quæ de se sufficit ad quodcumque creabile non potest esse aliqua entitas determinata, et limitata, quia non potest limitata virtus adæquare, et respicere totum creabile. Et hac ratione probavimus disputatione octavo citato non posse aliquam virtutem diffusam extra Deum operari totum ens modo illo universalissimo, quo Deus creat, et creaturæ dependent a Deo, quia virtus diffusa extra Deum, hoc ipso est virtus creata, et effectus quidam Dei: ergo hoc ipso non operatur universalissimo modo in ens, in quantum ens, sed particulari ad determinatum ens, et multo minus potest de se in totum ens creabile: ergo idem erit de causalitate creata, quia si virtus creata, et extra Deum non habet modum universalem operandi, neque ipse influxus, et causalitas id habebit. Non operatur ex nihilo, quia influit et spiratur etiam ut causalitas recepta, scilicet inhærens rei, aut modificans, non per se existens: ergo influit ex nihilo, sed ex aliquo subjecto, quia virtus, seu entitas recepta non potest

operari nisi ut existens in eo in quo recipitur, quia si manet extra illud in alio subjecto, non potest ex illo attingere id quod extra se est, nisi vel illi communicando alium similem influxum, et de illo erit eadem difficultas, vel nullum communicando, sed in altero manendo; et sic multo melius id faciet operatio Dei, et actualitas in eo manens, et sine alio medio operans. Si ergo recipitur in aliquo, non recipitur nisi in ipso termino creato, et producto, quia ante ipsum non datur aliquod subjectum in quo illa causalitas recipiatur, cum sit causalitas faciendi totum, atque adeo nihil de illa re supponit, cui inhæreat. Si autem inhæret aut recipitur in ipso termino, et non influit nisi ut existens in illo, prius ergo est existens modus quam influat: ergo et terminus in quo recipitur prius est existens: ergo non influit in illud totum esse, nec facit quod existat. Et præterea omnis virtus vel influxus qui operatur ut receptus in subjecto, operari non potest nisi ex subjecto, et per mutationem, non ex nihilo, quia semper modus influendi, et operandi sequitur modum essendi ipsius virtutis aut entitatis unde profluit, ut amplius articulo quarto dicemus.

XVIII. Sed dices: Etiam in generatione substantiali actio, seu causalitas agentis identificatur cum termino, et in eo recipitur, et tamen causat illum, nec recipitur in sola materia prima, quia illa non recipit accidentia, sed totum compositum: solum enim recipit immediate formam substantialem: ergo bene potest etiam causalitas Dei creantis recipi in termino creato, et tamen influere in illum per modum causalitatis totum esse.

Respondetur ex D. Thoma quæst. II de potentia, art. III ad IV, quod: « In generatione, et est mutatio,